



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

11. Carpvvs conceptam conscientiam peccati mortalis leuiter abijciens  
peccat mortaliter.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

utique proventura, si restitutio fieret; damna autem ex tali iustâ retentione orta non possunt imputari Charitoni hoc ipso, quod iste non sit causa moralis iniusta, quod necessariò ad talem imputationem requiritur. Consentiant huic assertioni quoad priorem partem de debitore *ex contractu* Rebellus, Salas, Bonacina, & alij, quos affert & sequitur Card. de Lugo *de Iust.* D. 18. n. 35; dissentiunt autem ab eadem quoad alteram partem de debitore *ex delicto*; sed immeritò, quia iusta causa radicitus moram purgat. Ut rectè Navarrus cit. & fere Lessius *c. 16. n. 33.* in fine, ubi ait, debitorem ex delicto non teneri de damno emergente vel lucro cessante pro eo tempore, quo non poterat restituere, nisi coniiciendo se in gravem necessitatem. Unde negamus rationem in contrariù allatam, cum nullo nitatur fundamento.

XI. *Carpus audit in Concione, creditque, esse peccatum mortale, vesci carnibus in pervigilio SS. Philippi & Iacobi, eò, quod sit ieiunium, & tamen ab ijs se non abstinet, conscientiam illam absque aliâ ratione abijciens. Queritur. Vtrum comedendo carnes peccet mortaliter?*

Videtur non peccare mortaliter. Ita Caietan. *in 1. 2. q. 19. art. 5.* quia conscientia errans non habet ex se vim obligandi, nisi quatenus acceptatur. Ergo quodocunque non acceptatur, non obligat.



Resp. Carpum peccare mortaliter. Ita Suar. Vasq. Palao Tr. 1. D. 1. p. 6. n. 5. Bress. L. 5. c. 23. *in fine*. & alij communiter. Quia nemo potest se pro libitu eximere legibus. Atqui conscientia illa, cum *ut vera* appareat, habet se instar legis, & est proxima regula voluntatis operandi, ut cum S. Thomâ *loc. cit.* docent communiter Theol. Ergo Carpus pro libitu exuere se illâ non potest, sed eâ obstrictus peccat mortaliter, si eandem violet, ut fit in proposito.

Ad rationem in oppositum dicimus, errantem conscientiam duplicem esse, vnam, quæ ita dicet aliquid esse peccatum, ut nullo modo etiam probabiliter credatur, esse licitum id, quod revera est licitum *secundum se*: alteram, quæ ita dicet aliquid esse peccatum, ut tamen verosimile, vel ex autoritate, vel ex ratione appareat oppositum. Hæc *posterior* non habet vim obligandi, nisi acceptetur, & deponi potest absque aliâ ratione; non autem illa *prior*, qualis est Carpi, qui nihil cogitando vel de errore concionatoris, vel de alio motivo rationabili in contrarium, omnino persuasit sibi ieiunandum esse, & à carnibus abstinendum, & tamen id contra conscientiam talem non fecit, vanè hoc sibi licere arbitratus.

XII. Cosmas Medicus ad Lazarum infirmum vocatus nullam agnoscit medicinam, que probabiliter